



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De sancti Athanasii reditu. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

instituti, hi diuina destituti prouidentia, tū ab hostibus facile expugnari, tum eisdem materiam ad lætitiā præbere solent. Quibus verbis auditis, milites cōclamare vno ore, ac dicere. Ne animus tibi, ò imperator, vlla æstuet dubitatione, neque nostri imperium tanquā improbum deuites. Nam & Christianis hominibus, & disciplina veræ pietatis educatis imperabis: Siquidem, qui sunt inter nos ætate pro uectiore, hi à Constantino eruditi erant: qui autem adolescentiores, illi præceptis Constantii instruebantur. Tempus certè imperii Iuliani, qui iam morte occubuerit, vt perexiguū, ita non satis ad erroris pernitiē in animis eorum qui eadē infecti erant, altius infigendam, fuit.

De sancti Athanasii reditu. CAP. II.

HAc militum oratione vehementer delectatus imperator, concilium deinceps in de salute reip. & quo modo exercitum hostili è regione possit incolumen reducere. Verū non tam multo egebat consilio, quippe cū fructus ex pietatis seminibus perceptus, ei subsidio esset. Nam extemplo rerum vniuersarum gubernator Deus, se ilius curam suscepisse declarauit, & dubitationē, in qua versari videbatur, penitus ei sustulit. Etenim rex Persarum, simul vt intellexit eum creatum imperatorē, primum legatos de pace ad illū mittit: deinde imperat cibaria militibus eius deferri, & res ad victum necessarias venales in solitudinē exponi. Itaque pacto ad triginta annorū spatium fœdere, Iouianus exercitum iam confirmatum & robustum hostili è regione eduxit. Vt primum autem in sui imperii fines ingressus est, primum sancit legem, quæ iubebat omnes episcopos ab exilio reuerti, & ecclesias illis, qui fidei formulam in concilio Nicæno aditam inuiolatam seruauerant, restitui. Scripsit porro literas ad Athanasium illum egregiū huius doctrinæ propugnatorē, ab eoq; flagitauit, vt accuratā de sacrosancta fide doctrinā sibi conscriberet. Ille igitur illustriorib⁹ episcopis in vnū cōuocatis, rescripsit ad Iouianū, hortatusq; est, vt formulā fidei in cōcilio Nicæno factā seruet, vtpote quæ doctrinæ apostolicæ penitus cōsentiret. Athanasii autē & reliquorū episcoporū epistolā ad legentium vtilitatē hoc in loco inserere operepretiū putauit.